NONNULLA
QUAE DE CHOLERAE DIAGNOSI ET CURATIONE IN ROMANIS GRAECISQUE MEDICIS INVENIUNTUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-LITERARIA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

MARTINUS BLUMENBACH,
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. BRESLER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
S. LIEBINGER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
M. KALISCH, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

PROOEMIUM.

Ex quo tenpore pestis ista, magnam nunc terrae devastans partem, paternae Asiae finibus superatis, in Europam irrupit, magis magisque ad nos progrediens, omnium magnopere intererat medicorum, tum naturam eausasque, tum decursum curationemque fatalis hujus morbi quam accuratissime et citissime cognoscere, sive ut ejus propagationem ulteriorem impedirent, sive ut, si hoc fieri haud potuerit, rstionales certe curandi invenirent methodos. Cum vero ars nostra filia sit connubii illius inter experientiam et studium, cholera autem veluti novum inexpertumqne malum nos adire minaretur, res ita agebatur, ut medicorum alii in terras morbo jam occupatas ad observandum mitterentur, alii observata conferrent, exque iis argumenta ad accuratam cognitionem aptamque curationem depromerent. Nemo igitur mirabitur, quod et equîdem, quamvis tiro et examinibus medicis instantibus occupatus, ad gravem hanc

animum adverterim materiam, ea scilicet ratione, ut fontes illos, ex quibus medica ars et scientia maximam adhuc haurit eruditionem uberrimamque observationum sylvam, classicos veterum medicorum libros adirem. Quem nos parentesque nostri haud viderant morbum, veteres fortasse observaverant, et, si observationibus haud caruerant, certo etiam in descriptionibus curationibusque bona nobis reliquerunt exempla. Cholerae vero nomen quum vetustissimum sit, hujus vestigia sequi maxime putavi idoneum, et mehercle spes me non fefellit. Esti nunquam in illis de Indica vel de contagiosa sermo est cholera, tanta inter cholerae ab iis observatae et descriptae et recentis nostrae symptomata est similitudo, ut dubitare nequeamns, quin utraque eundem constituant morbum, singulis intercedentibus modificationibus. Quae cum ita sint, haud ineptum mihi videbatur consilium, ea, quae in classicis vetustatis medicis de hac re invenirem, colligendi, conjunctaque cum iis, quae nostrae aetatis observationes propriumque studium docuerint, in dissertatione mea inaugurali in vulgum edendi. Accipias igitur L. B. has pagellas illa indulgentia, qua tiro in tam ardua dubiaque materia carere non poterit.

CAPUT I.

NOMEN MORBI.

Cholerae nomen, veteribus usitatum et a nostratibus retentum, alii a ἡ χολὴ (bilis) alii a τὰ χολεϱὰ (intestina) derivant, quia tum bilis secretio in quantitate et qualitate abnormis apparet, tum intestinalis canalis sine dubio sedes morbi est. Statim vero memorandum est, bilis secrctionem in veteri nostraque cholera contraria ratione esse abnormen, in illa nempe quantitatem normalem excedere, in hac esse iminutam vel suppressam. Nomen recens vernaculum «Brechruhr» in symptomate illo gravissimo, maxime conspicuo et secundum multos pathognomonico, excretionibus scilicet nimiis et corruptis per os et alvum, habet fontem.

DIAGNOSIS.

In tot, quae ab ipsis observatoribus editae sunt, cholerae indicae descriptionibus, inque tanta symptomatum gravium, quae ab auctoribus velut pathog-

nomonica memorantur, copia vix credibilis videatur illa in diagnosi hujus morbi inter medicos haud raro obvia incertitudo, nisi e diligentiori illorum librorum studio experiremur, maxime variam symptomatum seriem in hujus morbi decursu observari, ita ut phaenomena, quae ab uno semper et constantia in eo invenirentur, ab altero nonnunquam tantum et transitoria habeantur, a tertio imo plane omittantur. Causae hujus rei mihi in eo positae esse videntur, quod epidemia, quae uti cholera tam immensum orbis terrarum spatium permigrat, necessario in variis locis endemicis momentis obnoxia est, quibus modificata variam prae se ferre potest tum ratione totius decursus tum singulorum phaenomenorum indolem. Praeterea vero, idque maximi est momenti, cholera per se, sive secundum varias, quae antecesserant, causas occasionales, sive secundum variam aegrotantium, quos afficit, individualitem inaequalem praebet formam, diversosque constituit gradus, qui aut in uno eodemque individuo seorsim se excipiunt et tum stadia nominantur, aut singuli in singulis observantur. Hac re permoti multi medici choleram in plures dividunt formas (e. gr. in erethicam, paralyticam, siccam) quae vero cum saepissime in eodem aegroto deinceps occurrant, et sufficiente divisionis careant principio, melius uti varii vehementiae gradus, variave evoluti morbi stadia sunt contemplandae. Haec ratio melius etiam congruit cum veterum medicorum hujus morbi de-

scriptionibus diagnosticis, quibus sequentia quatuor stadia cum singulorum symptomatibus continentur.

I. Stadium prodomorum: Nausea, vomituritiones, anxietas, praecipue in praecordiis, quae evomuntur aquae sunt similia, quae infra ejiciuntur, stercoracea, liquida, tetria sunt.

II. Stadium initii. Tensiones in cardia et gula, tormina in intestinis, anxietas aucta, bilis nunc supra et infra ejicitur, aquae similis in qua caro recens lota est.

III. Stadium incrementi. Tormina augescunt, sonscientia deficit, arteriarum pulsus rarissimus fit et minimus, bilis ejecta vario praedita est colore, spasmi oriuntur extremitatum, praecipue surarum; digiti livent, musculi convelluntur, vertigo, singultus, totum denique corpus frigore percutitur.

IV. Stadium fastigii. Sudor copiosus, frigidus viscidus, ischuria, loquela et vox deficiunt, arteriarum pulsus fere evanescunt, tenesmus, mors deinde suffocatoria inter universales convulsiones; rarissime lysis per somnum quietum ad convalescentiam ex hoc stadio ducit. Eadem, quae in his descripta sunt, phaenomena in nostra etiam observantur cholera multis cum aliis conjuncta, non semper vero omnia simul, vel eadem cum vehementia. Ne omnino credas, quod tot dixerunt medici, choleram semel qui viderit, eum nunquam in diagnosi posse errare, nam etsi in maxime evolutis casibus habitus statim nos de praesente certiores faciat morbo, tamen tam va-

rii sunt gradus, ut nonnulli sanum fere praebeant aspectum aegroti, dum alii teterrimam prae se ferant imaginem. Quae vero ab observatoribus accuratissimis nobis tradita sunt symptomata, nostra etiam probata experientia, sunt haec: Symptoma fere constantissimum est evacuatio nimia fluidi, aquosi, peculiaris sine sapore et odore per os et alvum. Praegrediuntur has ejectiones plerumque sensatio plenitudinis dolorisque ventriculi, flatus, sitis; comitantur eas vel sequuntur: spasmi vehementes in digitis, suris, sensimque in abdomine toto, denique etiam in thorace. Cordis actio simul imminuitur, pulsus fiunt minimi, respiratio difficilis, suspiriosa, cutis deinde pallescit et friget, habitus prostratus, oculi fixi, vitrei, in orbitam rectracti, circulis coeruleis circumdati, ungues coerulei; lingua alba, tremulans, vox depressa. Maxima simul intrat virium prostratio, musculorum motus voluntarius corrumpitur. Haec symptomata in aliis casibus magna cum vehementia adsunt, magna cum velocitate se insequuntur et tum intra parvum temporis spatium mortem adducunt, in aliis vero mitiora sunt, unum alterumve deest, visque vitalis feliciorem cum iis init pugnam. Id etiam memorandum, quod in hoc morbo epidemice regnante, in singulis locis singula phaenomena praevaleant, ita ut hic vomitus, illic spasmus reliquaque alias nunquam desiderentur.

AETIOLOGIA.

Veteres medici cum in genere naturam magis in ejus phaenomenis sequi, quam reconditas ejus conditiones cognoscere studerent, in morborum etiam causis frequentius remotas (tum in praedispositione individuali, tum in rebus externis nocentibus sitas) tradunt, quam proximam (vis vitalis peculiarem mutationem) eruunt. Quae res vero si jam in plurimis morbis invenitur, in cholera ideo magis intercedit, quippe quae ab illis sporadica tantum observaretur, ita ut pandemica illa constitutio, nostris temporibus tam vigens, plane negligeretur. Causae, quas veteres medici ad choleram efficiendam memorant, partim sunt dynamicae, partim mechanico chemicae. Ad has posteriores referuntur.

1) Infarcta, ciborum nimia copia ingesta.

2) Humores varii corrupti.

3) Variae res nocentes ventriculo illatae ibique vomitum, deinde in canali intestinali diarrhoeam efficientes.

Ad priores, dynamicas scilicet causas, pertinent;

1) Motus organicus singularum partium perversus, abnormis igitur ventriculi reactio nervorum influxu, affectus e. gr. animi.

2) Inanitio nimia vel debilitas ventriculi. Hae

causae omnes, etsi etiam nunc choleram possint procreare, haud tamen sufficiunt, neque ad imensam morbi epidemicam expansionem, neque ad tantam morbi illustrandam gravitatem, praeterea etiam causae hujus morbi proximae plane nullam continent mentionem. Quae vero res cum nos ad illud perducat punctum, de quo inter celeberrimos medicos pertinacissima est lis, de morbi scilicet contagiositate, prae omnibus illud memorabo, illud certamen magis in verbis quam in re ipsa versari. Utraque enim pars in quaestionem sibi propositam absolute haud poterit respondere, opposita opînio aeque firmis adjuvabitur argumentis, et res eo pervenit, ut intelligatur, choleram secundum suam naturam ad morbos pertinere minime contagiosos, in majore autem epidemica extensiva et intensiva evolutione contagium posse procreare, uti omnes res organicae, quae certo demum egent evolutionis gradu, ut generatione se propagent. Illa vero, de qua modo locuti sumus, cholerae natura, ejus simul est causa proxima, qua per epidemicos influxus, accedente una alterave causa occasionali, statim progignitur, morbumque efficit. Omnibus vero collectis morbi observatis symptomatibus, causa cholerae proxima haec esse videtur: Erethismus plexus abdominalis superioris, praecipue solaris, maximum nonnunquam ad gradum auctus cum praevalente ad paralysin proclivitate; sanguis carbonico abundat, et in massam piceam mutatur, actio igitur

arteriarum, praecipue capillarium vasorum, imminuitur, functio cutis renumque supprimitur, bilisque secretio spasmo retinetur; simul vero secundaria systematis nervosi cerebralis et medullaris affectio constat.

CURATIO.

Cum cura rationalis semper sit causalis, ea scilicet, quae, causis remotis sublatis, causam quoque proximam tollere conatur, inter nostram veterumque cholerae curationem eadem atque inter aetiologiam intercedere debet differentia. Veteres nempe magis abstractas ab observationibus curandi regulas dederunt, nostra aetas, ubicunque potest fieri, curandi methodos morbo superstructas et ideo causae proximae adaptatas postulat. Itaque etiam in cholera, initio quidem, quo tempore propria adhuc carebamus observatione, reique angustia multos medicos impedivit, quo minus curam exspectativam sequerentur, curationes, partim uti specificae commendatae, partim secundum analogiam probandae, adhibitae sunt; nunc vero, cum pathologia, observandi praebita occasione adjuta, clariorem in naturam variasque morbi hujus modificationes propagaverit lucem, cura etiam rationalis a medicis requiritur optimo jure.

Scimus: choleram orientalem unam constituere morborum speciem, quae certum aegritudinem (i. e. symptomatum in spatio et tempore imaginem) praebeat, hanc vero singulis rationibus, partim epi-

demicis, partim individualibus ita modificari posse, ut unum alterumve symptoma praevaleat, totique morbo peculiarem imprimat characterem. Itaque etiam in curatione semper indolem illam primariam debemus respicere, nunquam vero gravissimas, easque frequentes modificationes negligere. Hac ratione quoque diversae illae dijudicandae sunt curandi methodi, quae a diversis medicis bono cum successu adhibitae sunt, et optimo cum jure pro singulis ab iis observatis et tractatis modificationibus laudantur. Quae vero variae hae sint modificationes secundum stadium, gradum et formam, quae deinde variae requirantur methodi curandi fusius hic exponere, prius quidem mihi erat in animo, nunc autem superfluum videtur, cum illustrissimus noster civis, in medicina vir summae auctoritatis, Bartels modo librum [1]) de hoc argumento in vulgum ediderit, neque Iliadem post Homerum sim scripturus.

Quae apud veteres inveniuntur cholerae curandae indicationes sunt hae;

1) Indicatio causalis eo tendebat, ut omnes mechanicas causas removeret, quae morbum vel efficere, vel augere possent. Qua ex re vomitum, si parcus erat, aqua tepida, aliisque incitamentis largiorem provocarunt, eumque, si non erat vehemens,

---

[1]) E. D. N. Bartels Grundzüge einer speciellen Pathologie und Therapie der orientalischen Cholera. Berlin 1832.

sustinuerunt. Si autem nimia bilis copia morbi erat causa, tum humectantibus et refrigerantibus remediis, ut excerpta docent, usi sunt.

Contra choleram, quae magis in dynamicis causis originem suam habuit, varia remedia adhibuerunt, ita, ut contra exinanitionem ventriculi methodum roborantem, contra motionem alienatam humorum aquam frigidam in usum vocandam putarent, ut motio illa retrograda tolleretur et humores retro fluentes reprimerentur.

Causis morbi hoc modo remotis, ad symptomaticam curam refugerunt, et prout symptoma praevalens urgebat, curationem instituerunt.

Qua in cura, quamvis magnam remediorum copiam, quam partim in excerptis, partim in antidotario adjuncto collegi, ad auxilium vocarent, tamen medicum spe curationis persaepe destitutum honestam fugam, ut Aretaeus dicit, capessere, bonum esse putarunt. —

E mole remediorum contra choleram adhibitorum quaedam memoratu digna jam nuuc afferam.

1) Si intestina torquentur, pedes rigescunt, tum unctiones oleosae, frictiones cum unguentis instituantur et extremitates fasciis et lana ligandae sint.

2) Si anima deficit, si arteria non micat, et sudor colliquativus effluit, tum vinum aliaque nervina adhibenda.

3) Inter alia remedia etiam balnea, cucurbitae, sinapismi, cataplasmata ab iis proposita sunt.

Myrepsius primus esse videtur, qui opio usus est, multaque alia antidota indnxit, quae in antidotario invenies.

CAPUT II.

EXCERPTA.

Hippocrates.

DIAGNOSIS.

Distinguit choleram aridam a cholera humida, de quibus in libro de victu in morbis acutis tractat. Ab arida cholera venter inflatur, strepitus fiunt, et dolor tum laterum tum lumborum, nihil alvus dejicit, sed adstringitur.

Si venter liquidus fuerit, bilisque excernatur, vexentque tormina, et vomitus et suffocatio adest, tum nominatur cholera humida.

AETIOLOGIA.

Aetas virilis, tempus aestivum, carnis esus, maxime suillae crudioris, sepiae locustae, gammari, ciceris; olera, braffica, rumices crudiores; poma, cucumerus, pepones, polenta recens, placentae, ac dulciaria et mellita, liba, ebrietas ex vino odorato veteri; insolatio.

THERAPIA.

1) Ab arida cholera affectus ne vomat servetur, venterque subducatur. Clysteren ergo ex calido cum aqua pingui adhibebis. Confert huic et dormire, bibere vinum tenue, oleumque, ut quiescat et venter subducatur. Verum si dolor non cessaverit, lac asinae bibendum est, donec purgetur.

2) Humida cholera laborantibus quiescere optimum est, mulsam bibere aquam et vomere. Praeterea cholerae medentur, si dolor adsit, anodyna; ventri autem superiori et inferiori potiones humectantes, et balnea calida, mollientia, capite excepto.

Cornelius Celsus.

DEFINITIO MORBI.

Cholera est commune stomachi atque intestinorum vitium.

DIAGNOSIS.

Dejectio et vomitus praeterque haec inflatio est, intestina torquentur; bilis supra infraque erumpit, primum aquae similis, deinde ut in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba nonnunquam nigra vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc Graeci χολερὰν nomiuant. Praeterea vero saepe etiam crura manusque contrahuntur, urget sitis, anima deficit. Quibus concurrentibus, non mirum est, si subito quis moritur.

AETIOLOGIA.

Sed hic quidem morbus et acutus est, et inter intestina stomachumque versatur sic, ut, cujus potissimum partis sit, non facile dici possit.

CURA.

Protinus ergo, ubi ista coeperunt, aquae tepidae quam plurimum bibere oportet, et vomere. Si vero tormina sunt, oportet frigidis et humidis fomentis stomachum fovere: vel, si venter dolet, iisdem egelidis, sic ut venter ipse mediocriter calentibus juvetur,

Quodsi vehementer et vomitus et ejectio, et sitis vexant, et adhuc subcruda sunt, quae vomuntur, nondum vino maturum tempus est. Aqua, neque ea ipsa frigida, sed potius egelida danda est, admovendumque naribus est pulegium ex aceto, vel polenta vino aspersa, vel mentha secundum naturam est. At cum discussa cruditas, tum magis verendum est, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum est ad vinum. Id esse oportet tenue, odoratum, et cum aqua frigida mixtum, vel polenta adjecta, vel infracto pane, quem ipsum quoque assumere expedit, quotiesque aliquid aut stomachus, aut venter effudit, toties per haec vires restituere. At si inanis est homo, et crura ejus contrahuntur, interponenda potio absinthii est. Si extremae partes corporis frigent, unguendae sunt calido oleo, cui

cerae paulum sit adjectum; calidisque fomentis nutriendae. Si ne sub his quidem quies facta est, extrinsecus contra ventriculum ipsum cucurbitula admovenda est, aut sinapi superimponendum. Ubi is constitit, dormire oportet: postero die utique a potione abstinere: die tertio in balneum ire, paulatim se cibo reficere; somnoque quisquis facile adquiescit; vitetque lassitudinem et frigora.

Aretaeus.

DEFINITIO MORBI.

Cholera est materiae a toto corpore in gulam, ventriculum et intestina retro fluens motio, vitium acutissimum: supra enim per vomitum erumpunt, quae in ore ventriculi et gula congesta fuerant, infra dejiciuntur humores, in ventriculo intestinisque natantes.

DIAGNOSIS.

In primis quae vomuntur, aquae similia sunt, quae anus effudit, stercorea, liquida tetrique odoris. Initio quidem facilis morbus est, dolore vacans, postea vero tensiones in ore ventriculi et gula; tormina in ventre nascuntur.

Si magis saeviat morbus, anima deficit, membra resolvuntur, cibos exhorrent, animus consternatur. Si quid acceperint magno cum tumultu, nausea et vomitus invadit, tum sincere flava bilis expellitur. Dejectiones quoque [similes sunt; nervi tenduntur, tibiarum brachiorumque musculi convel-

luntur, digiti incurvantur, vertigo oboritur, singultiunt, ungues livent, algent extrema, totum corpus rigore concutitur. Si malum ad ultimum venit, tum vero aegrotus sudore perfunditur, bilis atra supra infraque prorumpit, convulsione impedita vesica lotium cohibetur, quod tamen, cum in intestina humores deriventur, abundare non potest, voce privantur, arteriarum pulsatus minimi sunt ac frequentissimi; cujusmodi in syncopa proposuimus. Conatus ad vomendum perpetui ac inanes sunt etc.: Mors demum sequitur doloribus plena et miseranda, per convulsionem, strangulatum et inanem vomitum.

CURATIO.

In cholera eorum, quae ejiciuntur suppressio mala est; cruda enim sunt, quare nos oportet, ea facile sponteque exeuntia libenter permittere; si non exeant, incitare, aquam tepidam sorbtioni dantes, assidue quidem, sed paucam, ne tensiones inanes in stomacho fiant, convulsioni similes. Si torquentur intestina et pedes frigescunt, irriganda est alvus calido unguine, in quo ruta cuminumque incocta sint, etc. Lana quoque imponenda est et pedes in unguendo molliter fricare oportet, sed genibus tenus haec fiant, ut caliditas, quae abierat, revocetur. Sin autem omnia antiqua stercora dejecta fuerint et biliosi humores transierint, et biliosus vomitus distensioque adsit, fastidium, anxietas, virium labefactio, tunc frigidae aquae cyathi duo aut tres pro-

pinandi sunt ad ventris adstrictionem ut retrogradus humorum cursus cohibeatur, utque stomachus ardens refrigeretur etc. Si arteriarum motus ad parvitatem lapsi fuerint, nec non assidue et frequenter micent arteriae, sudor circa frontem et iugula et qualibet corporis parte stillatim effluat, alvi profluvium non sistatur et ventriculus adhuc evomat cum distensione et animi deliquio, parum vini odorati et adstringentis aquae frigidae infundendum est; ut prae odore sensus excitetur ob ejusque potentiam roboretur etc. Verum enim vero si omnia urgeant, sudor et tentio non stomachi modo, sed etiam nervorum, singultus inanis, et pedes contendantur et alvus multa excernat, et homo caliget; et pulsatus arteriarum ad immobilitatem vergant, tunc ejusmodi aagroti statum praevertere opus est. Frigidae ac vini multum praebendum est, et nequaquam meracius, ne fiat ebrius, ac ne laedantur nervi, sed cum cibo et panis bucellis madefactis etc. Sin horum auxiliorum nullum proficît, cucurbitula in interscapulo affigenda est, atque infra umbilicum. Profuit et interdum aurae motus suavis, ut et spiritus revivescat et cibus in ventriculo remoretur, utque melius aegrotus spiret, meliusque arteriae micent. Pedes vero et musculos, si convellantur, sicyonio, gleucino aut vetere oleo cum exigua cera perungito, castoreo quoque respergito. Porro si frigidi etiam pedes sint, unguine ex adarce et euphorbio inunguito et lanis obvolvito et manuum

palpatione foveto, quin etiam dorsi spinam, tendones, et musculos nec non et maxillas iisdem inungere expedit. At contra si omnia vomitu rejiciat, sudor perennis effluat, frigeat laborans et lividus fiat, pulsus etiam prope extincti sint, et vires cadant, cum ita, inquam, se habuerit, inde honestam fugam capessere bonum est.

Alexander Trallianus.

Trallianus inter omnes medicos erat, qui praecipue de therapia acuratissime et rationaliter tractat.

Ille nominat choleram immoderatam perturbationem, qnae per alvum et vomitum propter stomachi subversionem offensionemque veniat. Nomen autem cholerae a graeco verbo *χολάδες*, intestina, deducendum, auctore Homero, qui dicit: „fusa erant intestina humi," putat. Deinde statim de curatione cholerae ex ciborum copia et cruditate verba facit.

I. Si nausea sine ulla ejectione adest, tum adhibenda sunt, quae vomitum largius evocare possent. 2) Evacuatione facta tum somnus et quies et praecordium fotum optimum est remedium. 3) Balnea et somnus.

II. Si autem cholera existit ex inanitione aut imbecillitate stomachi, tum methodus roborans adhibenda erit.

1) Primum victus roborans, panis

2) Vinum et metha

3) Unctiones; particulae refrigeratae vino, unguento aut gleucino sunt unguendae.

4) Cataplasmata et epithemata.

5) Si tormina distentionesque adsint, tum cucurbitulae sunt applicandae,

III. Si bilis copia causa cholerae est, tum diagnosis est statuenda ex rosione et caliditate circa ventrem et praecordia, ex nimia siti, aestate.

In curatione omnia sunt adhibenda, quae humectant et refrigerant.

1) Ptissanae cremor refrigeratus, lactuca, acetum: intybus, pectines, astacus et pisces duri.

2) Fructus, qui non admodum maturuit, et mediocrem habet adstrictionem.

3) Potus, aqua frigida.

4) Extrinsecus cataplasmata.

IV. De cholera, quae citra noxam excitatur.

1) Purgationes ex scammonio.

2) Frictiones.

3) Fomentationes sunt in usum vocandae.

Paulus Aegineta

Dicit, choleram esse immoderatam ventris exturbationem propter assiduam ciborum cruditatem, quae vel ex multorum ciborum pravitate vel ex pravorum humorum redundantia exsistit.

CURATIO.

1) Evacuatio.

2) Quies, calefactio circa praecordia.

3) Post factam concoctionem balneis utendum est et cibis boni succi.

4) Cataplasmata, si lationis impetus perseverat et venter collabitur et pulsus diminuuntur, etiam cyathus frigidae aquae, vinum etc.

5) Ad contractiones convulsorias musculi linticula oleo imbuta vel ceratis circumdandi, artus aqua frigida perfundendi sunt. Si vero vigiliis vexatur, tum medicamentum ex papaveris capitibus est bibendum.

Oribasius.

Choleram quisque prohibere potest, si quotiescunque nimis expletus sit, antequam cibos iterum ingerat, vomitum cieat, et vomitu commoto choleram quisque prohibebit, si sumat melicratum vel aquam tepidam, ventrem oleo foveat, lanisque convolvat, largiorem consueto somnum dormiat. Si autem cholera aliquem occupaverit et post evacuationem morsiones vehementes sequuntur, potu melicrati temperandae erunt vel aqua. Si autem immodica est evacuatio, periculumque convulsionis imminet, et aeger sine pulsu est, et extremitates frigescunt; tum extremae partes fasciis et lana vinciantur et

frictiones sunt adhibendae. Deinde aeger alendus est. Vinum maxime juvat, nam cum somnum inducat, spem salutis affert.

Aetius.

Pepon cholericos, quibus et superne et inferne bilis prorumpat, efficere solet.

Cassius.

Cur correpti cholera, augescente increscenteque ventriculi tensione, crura tibiasque contrahunt? Dicemus, quod cholera stomachi, qui natura nervosus exsistit, passio sit. Itaque optimo jure is tensione laborans musculos corporis, in quos nervorum origines propagantur, simul afficiet.

CAPUT

DE ANTIDOTIS.

Non alienum esse puto, ex magna medicamentorum copia, quam contra choleram in thesauris medicorum inveni, uti antidota, athanasias et pastillos, magnamque compositionum molem, quam in usum contra vehementem illum morbum vocarunt, colligere, et collecta in sectione ultima proponere. Facilea utem fieri potest, ut lector expertus ex hac mole aliquod remedium inveniat, quod experientia probatum, etiam contra choleram nostram auxilium feret. Perlegas ergo, lector benevolentissime, antidotarium tibi prolatum, meamque spem compleas.

ACTUARIUS.

Cholera quoque laborantibus eodem modo datur.

Pastilli scyllini triens, pastilli theriaci sextans, hedychrois spissamenti sextans, cinnamomi, piperis communis, lacrymae papaveris, singl: sextans: rosar; scordii Cretensis, seminis napi, iridis Illyricae, agarici Pontici, succ. dulc. radicula singl. unc. zingiberis, myrrh. croc. radic. quinquefolii, rhei Pontici, nepetae, marrubii, petroselin. stoechadis, costi, piperis candidi, piper. long., dictamni, junci odorati, thuris, terebinth.; cassiae, spicae nardi, sing. se-

mium. polii, styrac. semin. apii, seselis Massiliensis, thlaspis, ammis, trissagin. ajugae, malabathri, succ. hypocystid: nardi Celticae, meì Athamantici, anisi, semin. foenicul, lemnii sigill, chalcit., amomi, acori, fructus balsami, phu Pontici, hyperici, acaciae, succi galbani, gummi, cardamomi, singulorum duella: bituminis, dauci cretensis, sagapeni, opopanacis, castorii, centaurii tenuis, aristolochiae, singulorum sextula: opobalsami uncia, mellis Attici vinique odorati et optimi, quantum ad succos et lacrymas satis sit. Hedychroi compositio. Mari, asari, amaraci, aspalathi, junci odorati, croci, calami aromatici, Phu Pontici, cassiae, folii Indici, singulorum duella: Xylobalsami, opobalsami cinnamomi, costi, singulorum semiuncia: myrrhae, foliorum malabathri, spicae nardi, singulorum fextula, vini odorati quod sufficiat. Andromachus croci et cassiae utriusque unciam scriptis mandavit.

MYRESUS.

Prodest etiam cholericis:

Habet mororum, spicae, petroselini, asari styracis calaminthae, floris hyoscyami, floris junci odorati, seminis apii, sileris, phu, sing. hexag. unum, cinamomi, cassiae sistularis, sing. hexagium semis mellis Attici aut sacchari, quod satis est. —

Athanasia. (Ita vocarunt ab immensa ejus efficacia, quod videretur propemodum suo usu homines reddere immortales) sive Antidotus de sampsucho, conferens cholericis:

Habet cinamomi, maceris, sampsuchi, trium santalorum, glycyrrhizae, rosarum, corallii rubei, florum borraginis et rosmarini, ossis cordis cervini, margaritarum, ambaris, tragacanthae sing. drachmam unam, turpeti, rhei barbari, sing. drachmam unam semis, sennae, agarici, sing. drachmas duas semis, croci grana septem, zingiberis drachmam unam, nuces moschatas duas, sachari et stillatitii rosarum liquoris quod satis est, moschi siliquas quatuor.

Scribonius Largus.

PASTILLUS AD CHOLERAM.

Recipit haec:

Myrrhae, troglodytidos, P. VI. croci. P. V. opii P. IIII. thuris P. V. alterci albi seminis P. IIII. Apollinaris herbae radicis corticis. P. IIII. Contunditur hic cortex per se et cribratur tenui cribro: deinde crocum, postea altercum, myrrha, thus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratum: subinde aquae exiguum adjicitur, donec fingi pastilli possint.

P. victoriati

Malagma alterum, quod et cholericis prodest: Alumnis fissi pondo sex, rhus Syriaci pondo sex, gallae pondo sex, acaciae P. sex, cerae P. quadraginta, picis Hispanae P. quadraginta, olei melini aut rosae pondo trientem. Acacia vino exiguo macerata teritur: cera et pix oleo alterutro mixta inferuescunt; quibus temperatis adjiciuntur cribrata

sicca: iis acacia miscetur, atque in unum omnia subiguntur.

Marcellus.

PASTILLUS AD CHOLERAM.

Recipit autem haec:

Myrrhae, troglodytidis VI. croci V. turis V. opii denarios IIII. alterci albi seminis denarios quatuor, apollinaris herbae radicis corticis denarios quatuor. Contunditur hic cortex per se et cribratur tenui cribro: deinde crocum, postea altercum, deinde myrrha, et thus, quibus miscetur opium pridie in aqua maceratum, et subinde aquae exiguum adjicitur, donec fingi pastilli possint ad pondus denarii semissis, licet alii tertia hujus ponderis detracta faciant pastillos. Antidotum Hadriani, quo utebatur Caesar Augustus, cholera quoque laborantibus valde prodest. Compositio ergo hujus est talis: Foeniculi semintis, cymini, gummis Thebaici, phu, pulegii, origani, piperis albi, herbae Sabinae, petroselini, cedri seminis, chamaedropis, cassiae bonae, jovis barbae rapae seminis, nardostachyos, junci seminis, euphorbii, echyos radicis, (hoc est capsellae) cyperi, pyrethri, trifolii seminis, quo mulieres utuntur in capite, amomi, serpilli sicci, gentianae, aristolochiae longae, rutae agrestis seminis, omnium supra scriptarum specierum uncias singulas. Item rutae radiculam; quae facit ad porcorum incommoda, agni radicem, hoci amsani (sive agrimoniae) radicem

draconteae radicem, quae radix est quasi costum, et bene olet, acori radicem harum specierum singulas semiuncias adpendes et omnia vel infra vel supra scripta diligenter tunsa et cribrata, in pulverem tenuissimum rediges, ac postea cum melle Attico, quantum ad spissitudinem sufficiat, permiscebis atque ex eo, quum opus fuerit, quanta avellanae est magnitudo jejuno dare debebis.

VITAE CURRICULUM.

Ego Martinus Blumenbach, Posnaniensis, vetustissimae religioni addictus, Anno MDCCXCVIII. a patre Abrahamo et matre Anna e gente Boehme, quos defunctos lugeo, natus sum. Anno MDCCCVIII Berolinum me contuli, ubi in gymnasio Berolinensi litteris, quae ad altiora studia viam sternunt, per quatuor annos operam dedi. Examine maturitatis absoluto, civium academicorum numero universitatis Berolinensis anno MDCCCXV ab Ill. rectore Solger receptus, alboque facultatis medicae inscriptus, hos sequentes viros celeberrimos disserentes audivi:

Cel. Fischer de physice experimentali, Ill. Erman de calore et lumine, Ill. Weifs de mineralogia, Ill. ab Humboldt de geographia physica, Ill. Mitscherlich et Cel. Turte de chemia experimentali, Ill. Lichtenstein de Zoologia, Ill. Hayne de botanice speciali, Ill. Link de toxicologia, Ill. Knape de osteologia, de syndesmologia, de splanchnologia, Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia theoretica, de anatomia sensuum organorum et foetus.

Artem cadavera rite dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape me docuerunt. Non minus interfui praelectionibus Ill. Hecker, de historia medica, Ill. Hufeland de pathologia generali, de semiotice, Ill. Horn de morbis mentis, de pathologia speciali, Ill. Hufeland de therapia speciali morborum acutorum chronîcorumque, Ill. Berends de therapia, Ill. Osann de materia medica, Ill. Jüngken de ophthalmologia, Ill. de Siebold de arte obstetricia, Ill. de Graefe de Akiurgia. Ad praxin medicam, viri Perill. Hufeland, Ill. Osann, Ill. Neumann, Ill. Berends; ad praxin chirurgicam Ill. de Graefe, Ill. Rust, Ill. Wagner me instituerunt.

Quibus omnibus viris ornatissimis maximas ago, quas habeo gratias. Tentamine et examine rigoroso absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Febris puerperalis propriae indolis morbus non est.

II.

Dentitionem morbum esse nego.

III.

Gangraena amputationem nunquam indicit.

IV.

Inter acutos et chronicos morbos non est cortum discrimen.

V.

Rheumatismus et arthritis signis eortis diagnosticis inter se distingui possunt.